Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

1

September habet dies xxx, luna xxx. Prefacio in Septembri.

Omnia deo adiuvante augusti mensis ferventia rura transivimus et de fonte paterno quicquid potuimus sugendo contraximus: restat ut umbras septembris tepidi licet laboraturi solliciti requiramus. Semper enim sororum diffinitione quod septimus sit ab imbre congrue nominatur. Unde nos septiformis gratiam sancti spiritus imploramus, ut imbre sue fluide pietatis ceptum opus infundat et feliciter ad finem usque perducat, quatinus eius virtutis operibus et nobis peccatoribus premium sit laboris.

Kalendis Septembris. Prologus in vitam Egidii confessoris.

Sanctorum quidem ac propensiori cultu reverentie venerandorum patrum gesta tanta deliberatione prisci fideles decreverunt multimoda prosecutione celebrare, celebrantesque tota mentis devocione venerari. Sicut enim lux dei per illos operantis et in illis regnantis lucius diffunditur, atque mentes auditorum tante virtutis opinione percepta ad bene vivendi cultum ardencius incitantur. Maiorum siquidem imagines suorum quondam gentiles erigebant: ea videlicet intencione, ut eas etatis veniente posteritas intuens ad virtutis appetitum glorieque consecutionem animum ferventius applicare niteretur. Quanto magis igitur sanctorum devocio precedencium patrum facta sibi sepius representat, in illis oportet velut quibusdam specculis ut sese providendo agnoscat.

Vita sancti Egidii confessoris.

Sanctus igitur egidius natione grecus, a preclaris parentibus originem duxit. Extitit enim athenis oriundus, patre videlicet theodoro nomine, matre vero pelagia, qui utique regia stirpe progeniti. Atque licet totius inter orbis primates preclari eximiam tamen duxerunt vitam. Prefatus vero egidius evo tenero ad sibi vita rudimenta dispositus: doctores summos spiritus sancte gratia perlustrat brevi equipperavit. Docili quoque puero gratia dei non defuit. Cuius vita omnium morum honestate perornatus, iamque foris scintillabat indiciis succensa lampas caritatis.

Quadam enim die dum ad ecclesiam pergeret, accidit ut quidam eger in urbis media platea iaceret, a transeuntibus almoniam petens. Cuius vocibus miserandis puer compunctus, quamvis adhuc pedagogi sui iram sibi formidabilem existimaret, tamen extractam tunicam qua induebatur illud quod oportunius daret non habens egro tribuit. Qua indutus eger: illico totius corporis sanitatem se recepisse gavisus est. Ad domum reversus egidius et ubi tunicam amisisset ut puer interrogatus respondit, quendam non sibi satis notum abstulisse. Cuius rei facile sibi veniam concedit, quo